

312

DISPUTATIO PHILOSOPHICO-  
LOGICA.

*De*

ORTIS REALIBUS  
SIVE COMPOSITIS, DIS-  
TRIBUTIONE ET  
definitione.

*Quam,*  
Auxiliante D E O,

P R A E S I D E

Dn. JOHANN-E-HENRICO ALSTEDIO,  
in incluta Herbornæ publico exa-  
mini subjiciet

ALEXANDER STUTTEN  
Sigeno-Nassovius.

Cum dies diem doceat, in labore mini-  
mè desperandum.

OS(.)SC

HERBORNÆ NASSOVIORVM.

Ex officina typographica Christophori Coryni.

cō iō C X I.

CLARISSIMO, CONSULTIS-  
SIMO, MULTARUMQUE RERUM USU  
præstantissimo viro, Dn. JACOBO SCHICKHARDO,  
Illustris & Generosi Comitis & Domini, Dn. JOHANN-  
NIS Senioris, Comitis in Nassau, Catzenelnbogen,  
Vianden & Dietz, &c. Consiliario prudentissimo:

N. E. C. - N. O. N.

Eximiâ doctrinâ & pietate spectatissimo viro, Dn. AN-  
TONIO JUNG, ejusdem illustris & generosi herois  
ac D. Dn. JOHANNIS Senioris in Nassau &c. Quæ-  
stori gravissimo:

V T E T

Spectabili præstantiq; viro, Dn. FRIDERICO PIT-  
HAN, supradicti illustris ac generosi Comitis JOHANN-  
NIS Senioris in Nassau &c. Cellario fidelissimo:

E T

DD. THOMÆ & JACOBO STUTTENIIS, fratribus  
germanis,

Hasce studiorum suorum primitias in submissionis,  
observantie & gratitudinis σημεῖον

D. D. C. & O.

R E S P O N D E N S.

T H E S I S . I.

 Um nullum studiorum genus, qualemque etiam illud sit, dextrè & feliciter tractari possit, lumine Logico extincto (unde Logica non ab re vocatur ὅργανον ὅργανων & χειρίς φιλοσοφίας, item lucerna lumen reliquis artibus præbens) necessarium esse duximus, ex Logicâ, ingenii exercendi causâ, qualem exercitationem proferre.

II.

In tam latum verò Logicæ campum ingressis loci illi præ cæteris pluerunt, qui de distributione & definitione agunt, quos locos aliâs orta realia vocant, ad differentiam conjugatorum & notationis, quæ sunt orta nominalia. Ideò verò maximè dicti loci pluerent, quia esentiam rei cuiusq; nobis veluti ob oculos ponunt; definitio quidem implicitè, distributio autem explicitè. Unde definitionem perimetro, distributionem diametro solent comparare. Hinc Socrates apud Platonem pronunciat, se eum qui singula convenienter distribuere, & prudenter definire possit, tanquam Dei vestigia secuturum. *Plato in Phædro.*

III.

A distributione igitur initium facientes, illam sic definimus: *Distributio est argumentum ortum, cum totum in partes distribuitur.* Ex genere hujus distributionis tria consectaria fluunt. 1. Quod distributio oriatur ex argumentis primis. 2. Quod perinde sit ad id quod arguit, sicut primum unde oritur. 3. Quod in illa arguitione ortorum sit symbolum primorum.

IV.

*Totum est, quod continet partes.* Idq; in distributione ex causis vocatur *integrum*, in distributione ex effectis *genus*.

V.

Ex definitione totius quid pars sit, facilimè cognoscitur; nempe, *paris est quae continetur à toto*, seu cuius essentia omnis à toto dependet: Idcoq; partibus singulis accuratiùs inspectis, totius natura penitus co-

gnoscitur. Totum enim cognoscitur cognitione vel confusâ & indistinctâ, vel distinctâ.

VI.

Pars in distributione ex causis membrum, in distributione ex effectis appellatur *species*.

VII.

De toto & partibus sequentia observentur.

I. Omne totum heterogeneum differt à suis partibus essentialiter, etiam simul summis: Secus in homogeneo, in quo partes à toto non differunt καὶ σοιαῖς, ut, particula aquæ non differt ab aqua tota essentialiter, sed dunataxat ἀειθυῶς. Hinc partes totius heterogenei vocantur *dissimilares*: quia non retinent nomen totius. Nec enim dicere possum, lapis est ædificium. At partes totius homogenei vocantur *similares*, quia retinent nomen totius. Rectè enim dico, Gutta est aqua.

II. Quod prædicatur de toto, non continuò de hâc vel illâ parte prædicandum est. Est enim consequens inconsequens: homo est mortalis. Ergo anima est mortalis: Nam homo est mortalis καὶ ἄλλο, vel si mavis, καὶ τοῦ. Et hoc exemplum commodè refers ad theorema 4.

III. Toto composito sublato, non semper tolluntur omnes & singula partes. Dicimus non semper: quia interdum accidit contrarium. Interim tamen toto sublato, pars desinit esse pars, non autem continuò desinit esse ens. Pars enim consideratur, vel absolutè, vel relatè. Vide theorema 6.

IV. Quod prædicatur de parte, quatenus pars est, id etiam prædicatur de toto secundum illam partem.

V. Destruktâ unâ principali parte, totum destruitur. Quæ regula non de speciebus, sed de partibus loquitur. A specie enim ad genus non argumentamur negative, nisi omnes species recenseantur: sicuti contrâ à genere ad speciem non valet illatio affirmativa. Neq; enim sequitur: Est animal. Ergo est asinus. Huc facit illud: à non distributo ad distributum, & contrâ, non valet consequentia.

VI. Pars à toto avulsa non amplius dicitur pars, nisi equivocè.

VIII.

Cæterum Peripatetici distinguunt partes essentiales ab integrilibus hoc modo; quod illæ dicantur quæ proximè rei σοιαῖς constituant & absolvunt. Sic anima rationalis & corpus sunt partes essentiales hominis:

minis: hæ verò quæ faciunt ne totum sit mutilum & mancum, ut pes manus, &c. sunt partes corporis humani integrales. Illæ faciunt ad nō dñ, hæ ad nō & dñ. Sic vides partes integrales esse partes partium essentialium.

IX.

Porrò inter distributionem & distributum æqualitas quædam est, qua alterum neq; latius altero est neq; angustius, quæ æqualitas reciprocatio dicitur. Quæ si observata non fuerit, distributio vitiosa est, quia tum distributio vel latior est, vel angustior suo distributo, quod repugnat naturæ ortorum. Per reciprocationem autem hîc non intelligimus axiomaticam conversionem, quæ in reliquis etiam argumentis fieri potest. Hæcque distributionis reciprocatio pleniùs & specialiùs propriis nominibus adhibitis declaratur à Ramo, dum ait: *ut distinctio totius in partes distributio, sic collectio partium ad constituendum totum inducitio dicitur.*

X.

Distributio sumitur ex argumentis consentaneis, ita tamen, ut inter partes sit dissensio. Partes enim inter se debent dissentire, & cum toto consentire. Proinde distributiones ex adversis sunt omnium optimæ. Nam ibi duo velut è regione sibi perpetuò adversantur. Et hoc sensu rectè dicitur, argumenta consentanea esse dissentanea, v.g. causa & effectum consentiunt & dissentiunt. Consentiunt in essendo, dissentiunt in prædicando.

XI.

Ex diversis relatisq; distributiones, ut & contradictoribus & priuantib. minus laudabiles sunt; cùm diversa non re, sed ratione solâ dissidenti; in relatis etiam affectio consentanea comprehendatur; priuanta verò & contradictoria cùm sint contraria negantia, quorum alterum ait, alterum negat idem, accuratae distributiones inde peti nequeunt: quandoquidem negatio non dicit partem à toto contineri aut eiadesse, sed quod à toto absit.

XII.

Hæc tenus generales quasdam distributionis affectiones premisimus; ad species accedendum. Distributiones itaq; pro natura totius & partium aliae sumuntur ex absolute consentaneis, alia ex modo quodam consentaneis. Ex illis sumuntur distributiones ex causis & effectis: Ex his distributiones è subiectis & adjunctis.

XIII.

Distributio ex causis est, quando partes sunt causa totius. Fitque vel ex efficiente, ut verbum Dei scriptum est partim a Prophetis, partim ab Apostolis: velex materia, ut conficitur domus partim ex ligno, partim limo, partim lapidibus: velex forma, ut quantitas alia est continua, alia discreta; vel denique: Ex fine, quædam ars ad bene loquendum, quædam ad bene disserendum &c. est inventa. Atque distributio haec proprio nomine partitio dicitur.

XIV.

In hac distributione ea excellit, qua integrum in sua membra distribuitur, idque propter causas & ceteras, seu uoces, quæ in perfectiorem rei cognitionem nos ducunt. Membra enim causarum essentialium, vide licet materiæ & formæ, certissima. Aliter se res habet in causis propria, sive externis.

XV.

In constitutione integri unumquodque membrum sese totum tam secundum materiam quam secundum formam integro in unitatem essentiæ tradit, id quod non fit in distributione ex efficientibus. Efficientis enim causa externa est, quæ rem effectam non ingreditur: materia vero & forma internæ causæ sunt, quæ dum rei essentiam ingrediuntur, eam constituunt, unde etiam nomen, id est, constitutiva, nuncupantur.

XVI.

Partitio ad membra quam paucissima revocanda est. Hic canon maximè ab oratoribus & concionatoribus observandus est. Nimia enim multitudo partium auditor turbatur. Vide Keckerm. in Eccles. rhet. lib. I. c. 6. Numerus si definiendus est, ternarius, vel quaternarius placet, si binarius non datur.

XVII.

Hecque de distributione ex causis. Distributio ex effectis est, quando partes sunt effecta totius: id est, cum partes respiciunt totum, ut effectum suam causam: utque distributio ex causis partitio: sic distributio ex effectis divisio dicitur: Illic membra sunt, hic vero formæ, quæ alias idex appellantur.

XVIII.

Ut in distributione ex causis ea distributio excellit, qua integrum in sua membra dividitur ita in hac ea, quæ genus in species distribuitur, laudem

laudem meretur: Et quidem id est, quia continet causas, quae communiter ad ipsius species attinent: omnis autem cognitio judicatur accurata & exquisita, quae ex causis est, juxta illud, *Scire est rem per causas cognoscere, scirique; demum creditur cuius causa tenetur; causae vero istae sunt materia & forma communis, quae vulgo generica dici solet.*

XIX.

*Genus est totum partibus essentiale:* seu ut Philip. Melancht. definit, genus est nomen commune multis specieb. & prædicatur de eis in quæst. Quid sit, sed imperfectè. Genus enim sese totum quantum quantum est, speciebus communicat, ita ut' quicquid per se de genere prædicatur, etiam de speciebus prædicari possit. Quocirca à Platone eleganter dicitur tribus. Addidimus imperfectè: quia perfectè in quid sit de speciebus prædicatur sola definitio.

XX.

*Estq; duplex: generalissimum, & subalternum.*

XXI.

*Genus generalissimum est, cuius nullum est genus.* Seu quod in ordine multorum est summum, nec supra se habet aliud, à quo essentiam accipiat, qualia sunt capita prædicamentorum, vel etiam vocabulum entis, quod de substantia & accidente seu omnibus omnino rebus prædicatur (nulla enim res est quæ non sit ens) de ipso autem ente aliud nihil tanquam genus prædicari potest. Hoc perfectè definiri non potest, quia est naturæ maximè indeterminatæ.

XXII.

*Genus subalternum est, quod hujus species, illius autem genus est:* seu quod respectu superiorum species, respectu inferiorum genus est. Ut virtus respectu habitus est species, respectu justitiae, temperantiae, fortitudinis, genus est.

XXIII.

*Species est pars generis, quæ quicquid generis est sibi sumit, & quia pars, necesse est ut ab alia parte distinguitur, quam distinctionem per formam vel saltem quod formæ proximè adhæret, fieri necesse est. Hæc autem forma actu generi non inest, sed potentia, unde genus à Scholasticis doctoribus vocatur totum potestatis: Hinc illud Scholasticorum: In specie plus est quam in genere.*

XXIV.

*Species est, vel specialissima, vel subalterna.*

XXV.

*Species specialissima dicitur, qua est individua in species alias. Alii sic describunt: Species specialissima est proxima individuis, de quibus prædicitur in quid, ut homo, equus, leo. Hic enim nonnulli distinguunt inter ατομον, & ειδον τατον.*

XXVI.

*Species subalterna est species superioris cui subjicitur, & genus inferioris de quo prædicatur, seu quæ respectu superiorum est species, respectu inferiorum genus: ut, animal respectu substantiæ est species, respectu hominis est genus.*

XXVII.

*Genus & species sunt ejusdem prædicamenti: Quæcunque enim essentiam & naturam habent communem, ejusdem sunt ordinis.*

XXVIII.

*Nihil de genere dici potest, quin idem de quavis specie dici sit necesse. Est enim genus speciebus suis esse entiale, ideoq; singulis speciebus & στιγματibus inest, videlicet ratione essendi & causandi, quia genus nusquam habet suum έπος nisi in speciebus. Dicitur etiam άνωμα inesse. Si intelligatur άνωμα indeterminationis seu genus imperfectionis. Unde tale οντοτητa sequitur: Ex affirmatione speciei sequitur affirmatio generis.*

XXIX.

*Genus natura prius est suis speciebus. Potest enim definiri & intelligi sine mentione specierum, nec sumit à speciebus notitiam. Et quia genus natura prius est speciebus, est etiam natura notius, ideoq; generalia in artibus præmittenda specialibus. Genus autem prius est speciebus ordine doctrinæ, posterius vero inventionis, nimis quia generis definitio ex speciebus colligitur; universalia enim quo ad methodum inventi posteriora sunt, quo ad methodum vero docendi priora.*

XXX.

*Genus de specie prædicatur άνωμα: Sunt enim, ut suprà thes. 28. dividimus, ejusdem prædicamenti. Hoc est quod Aristoteles dixit lib. 4. topic. cap. 2. Si quid de specie in concreto prædicatur, id ejus genus esse non potest. Malè igitur dico, Albedo est colorata, sed recte, est color.*

XXXI.

*Quicquid est speciei vel causa, vel subjectum, vel accidens, genus ejus esse non potest.*

XXXII. Dú-

**X X X I I.**

Distributio ex modo quodam consentaneis succedit, subjectis scilicet & adjunctis. De quibus monere nihil attinet. Est enim illa distributio revera non alia à distributione generis in species. Siquidem species subjectorum & adjunctorum nominibus appellantur. Cum itaq; nova distributio-  
nis forma hic nulla sit, sed eadem, quæ proximè præcedit: præcepta de  
eà tradere supervacaneum esse censuimus.

**X X X I I I.**

Prima igitur ortorum realium seu compositorum specie absolutâ, rectâ nos ad alteram, definitionem scilicet, accingemus.

**X X X I V.**

Definitio est argumentum ortum, cum explicatur quid sit res. Hic repetantur, quæ suprà thes. 3. monuimus. seu ut alii: Definitio est oratio, in qua quid sit res, exponitur. Dicitur Græcè δεῖσθαι: quod nomen à mensoribus & agrorum terminis definitis hoc translatum est.

**X X X V.**

Definitio vicissim definito argui potest, hucq; facit illud: Cui convenit definitio, eidem & definitum: & contrà,

**X X X VI.**

Definitio duplex est, perfecta & imperfecta. Consentit hæc cum vulga-  
rium Logicorū divisione, in essentialē, causalem, collectam ex coa-  
certatione partium dividentium, & tandem accidentalem. De per-  
fectâ seu essentiali primò, de imperfectâ causalī, partiali & accidentalī  
postea tractabimus.

**X X X VII.**

Perfecta seu essentialis definitio est, quæ constat è solis causis essentiam consi-  
stentibus: quales causæ genere & formâ comprehenduntur: seu perfecta  
definitio, aliás essentialis est, cuius differentia sumitur ex substantiali-  
bus rei proprietatibus.

**X X X VIII.**

Omnis perfecta definitio debet constitui juxta seriem vel ordinem predicabil-  
um: primoloco species seu definitum, secundo genus, tertio differen-  
tia ponendæ sunt, ut, homo est animal rationale.

**X X X I X.**

Species sumitur prout offertur. Genus deponitur ex prædicamentis, differen-  
tie vero sumuntur, vel ex prædicamentorum divisionibus, vel ex proprietatibus na-

civis, vel ex partibus, vel ex causis, vel ex accidentib. vel à contrariis; ut ignis est in substantia categoriâ, ibi q; proximum ejus genus est elementum. Differentia verò ex accidentibus ejus sumitur, quæ sunt calidum & siccum. Ita, ignis est elementum calidum & siccum.

X L.

Conditiones generales definitionis ha sunt: 1. definitio debet convenire ad ordinem prædicabilium & prædicamentorum: 2. sermo definitionis debet esse perspicuus, carens ambiguitate: 3. debet complecti præcipua rei membra, ut nec angusta nimis sit, nec nimis latè pateat: 4. talis etiam esse debet ut possit conversio fieri sub simili veritate. Copiosius Aristoteles 6. topic. per totum.

X L I.

Conditiones generis ha sunt: 1. genus debet esse ejusdem predicamenti cum specie: 2. debet esse de natura speciei: 3. debet latius patere: 4. debet posse converti cum specie, sed per accidens: 5. debet esse proximum, quantum potest; sed si proxima non sunt præstâ, remota sumere licet: ut in illo, animal est substantia corporea, animata, sentiens. Copiosior de his Aristoteles in 4. τοπικῶν.

X L I I.

Differentiarum conditions ha sunt: 1. videndum est ut sint vera. 2. ut proxime. 3. ut præcipua, quantum quidem fieri potest. Hic ferè ea quæ Aristoteles in 5. topicorum.

X L I I I.

Definitio perfecta hactenus fuit: sequitur imperfecta, seu descriptio, qua est definitio ex aliis etiam argumentis rem definiens.

X L I V.

Descriptio autem, cùm sit definitio, reciproca etiam esse debet, ut cum suo definito converti possit. Tot ergo argumenta tum communia, tum propria colligenda sunt, donec rei descriptæ natura ob oculos posita & ab aliis distincta videatur.

X L V.

Descriptio, ut suprà attigimus, est vel causalis; vel partialis, vel accidentalis.

X L V I.

Causal is vocatur, cuius differentia sumitur ex causis, ut Evangelium est doctrina divinitus per filium Dei ex sinu patris allata, offerens remissionem gratuitam omnibus verè in Christum credentibus.

X L V I I. Par-

**XLVII.**

*Partialis vocatur, cuius differentia sumitur ex partibus: ut Philosophia est doctrina de sermone, natura & moribus. Collectiva enim non possunt perfectè definiri.*

**XLVIII.**

*Accidentalis vocatur, cuius differentia sumuntur ex accidentibus: ut, terra est elementum frigidum & siccum, omnium elementorum gravissimum & infimum.*

**XLIX.**

*Accidentalis verò definitio sit assumpta ad genus subjecto, effidente, fine & objecto. Intelligendum nimur hoc de accidentibus indeterminatis. Hæc cùm extranea sint, facile conjicere est, omnes accidentales esse ēn ἀγάθοις. Atq; hæc de ortis realibus sive compositis tractasse sufficiat.*

**C O R O L L A R I A.**

**I.**

*Logico-Theologicum.*

**A**N Deus Logicè definiri possit? Dicitur. Aut Deus consideratur ut in se est, aut quantum à nobis comprehendendi potest: Illo modo ut nobis est incomprehensibilis, sic quoque definiri nequit. Hoc verò modo ut nobis sese applicat (quod Græci vocant συγκαταεῖν) per quandam analogiam definiri potest ex genere, & differentia, cuius vicem attributa supplant.

**II.**

*Physicum.*

De elementorum numero non convenient Physici; nos quaternarium amplectimur contra Timplerum & alios, freti argumentis cùm Physicis, tum Mathematicis.

**III.**

*Ethicum.*

An hospites sint domini peregrinorum? N.

**IV.**

**Oeconomicum.**

An liceat marito uxorem verberibus tractare? Aff. Sed leviter, dum  
ne castigationis modum excedat. Consentit Decius in l. fœm. de R. J.

**V.**

**Politicum.**

An Iudei in civitate bene constitutâ tolerandi? Videatur erudi-  
tissimus Keckermannus in disputationibus suis, disputatione 33; thes. 3.

**VI.**

**Juridico-Theologicum.**

An infideles cum Christianis matrimonio jungi debeant? Neg.  
Est enim matrimonium divini & humani Juris communicatio. Ad for-  
mam enim (teste P. Martyre) id quoque spectat, ut communicatio Juris  
divini inter eos habeatur; oportet siquidem ut ejusdem sint religionis  
& humaniter communicent. Hæc P. Martyr.

*Gloria sit soli qui regit astra poli.*

*Partialis vocatur, cuius  
est doctrina de sermone, et  
sunt perfecte definiri.*

*Accidentalis vocatur,  
est elementum frigidum  
mum & infimum.*


*Accidentalis verò  
ciente, fine & objecto. In  
indeterminatis. Hæc cù  
cidentales esse cù  
tractasse sufficiat.*

**C O**

**A**N Deus Logicè de  
in se est, aut quantum  
nobis est incomprehensi  
do ut nobis sese applicat  
dam analogiam definiri  
tributa supplant.

*De elementorum  
narium amplectimur co  
Physicis, tum Mathemat*

*An hospites fint*



phia  
pos-

erra  
issi-

effi-  
ibus  
sac-  
sitis

ur ut  
out  
mo-  
uan-  
n at-

ater-  
cùm